

INDICTIO VNIVERSALIS IVBILAEI

Anni sancti millesimi noningentesimi

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

VNIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM
ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

PROPERANTE ad exitum saeculo, quod annuente Deo Nos ipsi prope totum emensi vivendo sumus, animum volentes induximus rem ex instituto maiorum decernere, quae saluti populo christiano sit, ac simul curarum Nostrarum, qualescumque in gerendo Pontificatu maximo fuerint, extremum velut vestigium ostendat. IVBILAEVM MAGNVM dicimus, iam inde antiquitus in christianos mores inductum, decessorumque Nostrorum providentia sancitum : quem tradita a patribus consuetudo *Annus sanctus* appellat, tum quod solet esse caeremoniis sanctissimis comitatio, tum maxime quod castigandis moribus renovandisque ad sanctitatem animis adiumenta uberiora suppeditat. Testes ipsi sumus quanto opere is ad salutem valuit qui postremo actus est ritu solemnium, Nobis videlicet adolescentibus, Leone XII pontifice maximo : quo tempore magnum tantissimumque religioni publicae theatrum Roma praebuit. Memoria tenemus ac videre propemodum etiam nunc videmur peregrinorum frequentiam : circumeuntem templam augustissimam, disposito agmine, multitudinem :